

# ΠΡΟΓΡΑΜΜΑ

ἑορταστικόν

In maximè solennem, maxi-  
meq; salutarem Dominicæ Incarna-  
tionis festivitatem, inq; debitum  
IMMANUELI  
honorem.

*Publicè propositum*

Rectore & Senatu Academiæ  
Regiomontanz

Anno Dominico ineunte CIO. IO. CXXXVII.

*Dominus custodiat exitum & introitum nostrum  
ex hoc nunc & usq; in secu-  
lum.*



Typis LAURENTII SEGEBADII



**A**propinquante sacratissima solemnitate, quâ Salvator noster inter homines nasci misericorditer voluit, Fratres charissimi, attentius considerate, qualiter oporteat nos in adventu tantæ potentæ præparari, ut Regem & Dominum nostrum læti atq; gaudentes cum gloria & laudibus mereamur suscipere, & in conspectu eius inter cœtus felices sanctorum gratulando exultare, & ideo rogo & moneo, ut quantum possumus cum DEI adiutorio laboremus, ut in illo die cum sincerâ & purâ conscientia, & mundo corde & casto corpore ad altare Domini possimus accedere. Considerate quæso, fratres, quando aliquis homo potens aut nobilis Natalem aut suum aut filij sui celebrare desiderat, quanto studio ante plures dies quicquid in domo sua sordium evenerit, ordinat emundari, quicquid ineptum & incongruum proijci, quicquid utile & necessarium præcipit exhiberi. Domus etiam si obscura fuerit dealbatur, pavimenta scopis mundantur, & diversis respecta floribus adornantur. Quicquid etiam ad lætitiâ, animæ & corporis delicias pertinet, omni sollicitudine providetur. Ut quid ista, fratres Charissimi, nisi ut dies Natalitius cum gaudio celebretur hominis morituri? Si ergo tanta præparas in Natalitio tuo aut filij tui quantâ & qualia præparare debes suscepturus Natalem Domini tui? Si ista præparas morituro, qualia præparare debes æterno? Quicquid ergo non vis inveniri in domo tuâ, quantum potes labora, ut non inveniat DEVS in animâ tuâ. Exultemus igitur, fratres, in hac Nativitate, & multipliciter gratulemur in ea, quam & salutis utilitas, & unctionis suavitas & Filij DEI majestas tam eleganter illustrat, ut nihil desit ex omnibus quæ desiderantur,

nec commodum, nec jucundum, nec honestum. Exul-  
temus, inquam, ruminantes intra nosmet ipsos & invi-  
cem eructantes suave verbum, eloquium dulce: *JESUS*  
*Christus Filius DEI nascitur in Bethlehem Juda. O magnum*  
*mysterium & admirabile Sacramentum! O admirabile com-*  
*mercium! Creator generis humani animatum corpus sumens de*  
*virgine nasci dignatus est, & procedens homo sine virili semi-*  
*ne, largitus est nobis suam Diestatem. Venit DEVS ad*  
*hominem; Creator ad creaturam, Rex ad subditos, Do-*  
*minus ad servos, medicina ad ægrotos, redemptio ad ca-*  
*ptivos, vita ad mortuos. Homo Deum contemnens à*  
*DEO discessit; DEVS hominem diligens ad homines*  
*venit; quid? HOMO FACTVS est. Hac est dies quam*  
*fecit Dominus, exultemus & lætemur in eâ. Hodie Dominus*  
*afflictionem sui populi respexit & redemptionem misit. Hodie*  
*mortem, quam femina intulit femina semen sugavit. Hodie*  
*DEVS HOMO FACTVS est; Id quod fuit permansit,*  
*& quod non erat assumpsit. Ergo exordium nostræ redemptio-*  
*nis devotâ mente recolamus & exultemus dicentes: Gloria*  
*tibi Domine. Tu Rex gloria CHRISTE, tu Patris æternus es*  
*filius. Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti*  
*virginis uterum. Dilexisti impium ut faceres justum; dile-*  
*xisti infirmum ut faceres sanum; dilexisti perversum ut*  
*faceres rectum, dilexisti mortuum ut faceres vivum.*  
*GLORIA TIBI DOMINE, quod natus es de virgi-*  
*ne; cum Patre & Sancto Spiritu & nunc & in perpetuum.*

De tanto divinæ dilectionis mysterio, ex Domini-  
cæ Incarnationis admirando opere apparente, fusiores  
in publicis Ecclesiasticis conventibus instituentur conci-  
ones, ad quarum devotam & attentam audientiam,  
omnes & singulos literariæ nostræ Reipubl: civeshorta-  
mur. Nos ex recepto more & consuetudine nonnulla  
proponemus Academica, publico literatorum bono,

continuaturi explicationem prophetiæ Haggæi, de ma-  
 jore gloria posterioris Hierosolymisani templi, præ gloria pri-  
 oris domus, Salomonice scilicet. Ubi quaeritur. In quoa-  
 nam major illa & excellentior gloria posterioris domus consti-  
 stat? Sub initium præteriti anni in Programmate tum  
 exhibitio ἀποκρίσις processimus & probavimus prælatu-  
 ram illius gloriæ non constituisse i. in externâ posterioris  
 templi structurâ vel ædificio. Conferantur loca Hag: 2.  
 v. 4. Esrz: 3. v. 12. 2. Nec in templo Herodis splendide &  
 magnificè extructo & exornato. 3. Multò minus in ex-  
 ternis posterioris Templi divitijs & thesauris, à genti-  
 bus in hoc templum importatis, ut noviores Rabbinii sta-  
 tuunt. Videantur Peruschim Rabbi Aben Esræ, Rabbi  
 David Kimchi, R. Schelomo Jarchi, in Biblijs Buxtor-  
 fii. 4. Nec ratione exteræ alicujus sanctitatis & ma-  
 gnificentiæ, quæ in Salomonico templo longè major fuit.  
 5. Nec ratione durationis. Nunc *Jeruzës* confirmabimus  
 majorem illam gloriam posterioris domus præ priore  
 consistere in re quæpiam singulari & nominatim in præ-  
 sentatione & manifestatione Messis à Prophetis in V. T.  
 distinctis vicibus & temporibus promissi.  
 Id probatur.

PRIMO ex ipso Haggæo, idq; distinctis in mem-  
 bris. I. Jehova de ejusmodi gloria loquitur, quam ipse  
 IMMEDIATE posteriori domui coneliaturus sit, ean-  
 demq; impleturus, *Implebo hanc ipsam domum gloriâ, di-  
 cit Dominus exercituum. c. 2. v. 8.* 2. Testatur Dominus  
 se sua divinitate & majestate hanc posteriorem domum  
 exornare velle c. 1. v. 8, *Complacebo in ea & glorificabo me-  
 ipsam, dicit Dominus.* In Hebræo est futurum הִאֲכִיִּר  
 quinaris nota deficit non sine mysterio, Masorethis at-  
 testantibus, ob quinq; deficientia in templo posteriore.  
 Interim hæc deficientia DEVM velle resarcire majestati-  
 cæ suâ gloriâ. Chaldæus hæc Haggæi verba hunc in mo-  
 dum

dum explicat: *Placebit mihi collocare Majestatem meam in*  
*ea, in gloria, dicit Dominus, 3.* Ipsa commotio cœli & ter-  
 ræ, maris, aridæ, gentium, quid singulate importat,  
 faciens ad amplificationem posterioris domus, præ prio-  
 re. 4. Adventus desiderij gentium ad domum postero-  
 rem non notat res pretiosas & desiderabiles gentium,  
 pretiosos lapides, aurum, argentum &c. uti Judæi sulte  
 fingunt, verum indignant Messiam, *desiderium gentium*,  
 Conferantur loca Parallela Gen: 49, v. 10. Esa: II, v. 3.  
 c. 60, v. 4, 5. 5. Ex voce *שלום* in loco isto dabo *PACEM*,  
*dicit Jehova exercituum* Hag: 2, v. 10. Hæc vox non notat  
 corporalem pacem. Tempore namq; posterioris domus,  
 Judæi gravissima gesserunt bella, testibus libris Macca-  
 bæorum & Josepho. Hinc tot spoliations, tot intestinæ  
 dissensionēs & seditiones, tot sædæ posterioris templi  
 pollutiones, per humanum etiam sanguinem. Testis  
 enim est Josephus lib: II. Antiqu: c. 7. summum Pontifi-  
 cem Johannem vel Jochanan Neh: 12, v. 22, 23. parentem  
 Jaddæ, fratrem suum Jeschua in templo occidisse hor-  
 tendo & inaudito exemplo, ipso Josepho ibidem loci teste.  
 Notatur ergo hæc *PACIS* voce partim, *ipse Messias*.  
 Hinc veteres Judæi testantur inter alia nomina quæ *Mes-*  
*sia* tribuuntur & illud esse quod vocatur *שלום* vel Sche-  
 lomo. Fuit enim Schelomo Davidis filius Messiaæ typus.  
 Hinc Esaias Messiam vocat *שלום* cap: 9, v. 6. par-  
 tim *Spiritualis Pax*, quam Messias Princeps ille pacis no-  
 bis donaturus sit. De hac Spirituali pace vaticinati sunt  
 Prophetæ Es: 2, v. 4. Mich: 4, v. 3. Zach: 9, v. 10. De hæc  
 pace canunt Angeli tempore Dominicæ Nativitatis Luc:  
 2, v. 14. Hanc pacem Apostolus vocat *εἰρήνην* *ωσὲς τὸν* *Ἰησοῦν*  
 Rom 5, v. 1. *εἰρήνην* *θεῶν* Phil: 4, v. 7. Hanc pacem apud  
 Deum habemus per Dominum nostrum **JESUM CHRI-**  
**TUM**. Hinc ipse Servator hanc pacem vocat *Suam* Joh:

24. v. 27. ratione meriti & acquisitionis. Col: 1, v. 26.  
 6. vox כבוד v. 7. (Implebo domum istam gloria) non ob-  
 scure ipsum Messiam norat. Vocatur enim hinc inde Mes-  
 sias, gloria Domini Esai: 60. v. 1. 2. Surge illuminare, quia  
 venit lux tua, & gloria Jehova super te orta est. Icem super  
 te orietur Jehova & gloria ejus in te videbitur. Chaldaus.  
 Surge illuminare Jerusalem, quia pervenit tempus redemptio-  
 nis tuae, & gloria Domini super te revelabitur. In te habitabit  
 majestas Domini & gloria ejus super te revelabitur. vers: 7.  
 Inquit Dn: תפארתו Domum majestatis mea glorificabo. Chal-  
 daus: Domum laudis mea decorabo, vel, Domum ornatus  
 mei ornabo. De hac ipsa Domini gloria vaticinatur iterum  
 Esaias c. 40. v. 5. Revelabitur gloria Jehova. v. 9. & 10.  
 Ecce DEVS vester, ecce ארני יהוה in fortitudine veniet, &  
 brachium ejus dominabitur. Calvinus quidem Judaizans  
 cum Judæis hanc Esaiæ Prophetiam restringunt ad tem-  
 pus liberationis ex Babilonica captivitate, verum ob-  
 stat partim proprietates verborum, quæ non nisi coactè ad  
 reditum populi possunt accomodari, partim autoritas  
 Christi, Johannis Baptistæ, & omnium Evangelistarum,  
 qui hæc verba ad tempora Novi Test: referunt, vocem  
 clamantis in deserto Johannem Baptistam esse innuunt,  
 & Dominum Messiam adventantem denunciant, stante  
 adhuc Hierosolyma & posteriore templo. Conferantur  
 loca Nov. Test. Matth: 3. v. 3. Marc: 1. v. 3. Luc: 3. v. 4.  
 Joh: 1. v. 23. ubi obiter notandum, verba Esaiæ c. 40. 5. Os  
 Domini locutum est, Chaldæum hoc modo explicuisse. In  
 verbo Domini decretum est ita. Lucas dilucide τὸ σωτήριον  
 τοῦ θεοῦ c. 3. v. 6. id est σωτήριον Luc: 2. v. 11. Messias enim  
 noster verè fuit os & gloria Jehova. Angelus ille, habens  
 essentielle DEI nomen in medio sui Ex: 23. v. 21. Ideo vo-  
 catur Angelus divinæ faciei Esa: 63. v. 9. ἀνδραγαθὸς τῆς  
 δόξης καὶ χαρκτηριῆ τῆς δυνάμεως αὐτοῦ Heb: 1, v. 3. Imago  
 DEI

DEI invisibilis Col: 1. v. 15. ἀπόρροια τῆς γ' ἅ παντα κρῆσθησθε  
δοξῆς αἰκλιωνῆς Sap: 7. v. 25. ἀπάνυσμα φωτὸς αἰδίου καὶ  
ἰκαντῆς ἀρετῆς αὐτῆς v. 26.

S E C V N D O. Idem firmamus ex  
comparatione gloriae Domini quae apparuit partim  
in tentorio conventus tempore Moysi, partim in inau-  
guratione Salomonici templi. Cum Moses anno secun-  
do ab exitu ex Aegypto tentorium conventus erigeret,  
legitur nubem operuisse tentorium conventus & gloriam  
Jehova id implevisse Ex: 40. v. 34. ita ut Moses in tem-  
porium ingredi non potuerit, ob nubem tentorio incum-  
bentem & gloriam Jehovae tabernaculum templi im-  
plentem. v. 35. Eadem DEI gloria implevit Salomoni-  
cum templum tempore solennis inaugurationis 1. Reg:  
8. v. 10, 11. 2. Chron: 5. v. 14. Quibus in locis eadem  
vox reperitur, quae est. Hag: 2. v. 7. de templo posteriore.  
*Implebo domus hanc gloriam.* Ejusmodi verò majesticam &  
magnificam gloriae divinae manifestationem in postero-  
re templo factam nullibi legimus, neque Judaei id probare  
poterunt. Consequens ergo est, divinam gloriam, quae in  
posteriore templo major futura esse debebat gloriam prio-  
ris templi, diviniore quodam & excellentiore modo in  
posteriore templo apparuisse. Haec autem excellentia in  
nulla alia re consistere potest, quam in praesentatione  
& apparitione ipsius Messiae in hoc ipso templo. Hic  
Messias est essentialis DEI Patris gloria, adumbrata in  
gloria quae in Vet: Test: tentorium conventus & Salomo-  
nicum templum implevit. Hic Messias gloriam suam  
visendam exhibuit in templo per doctrinam & miracula.  
Ut ergo domui Zachari SALUS obvenit, ob Salvatoris  
praesentiam Luc: 19. v. 9. ita multò magis Messiae non  
ambrae sed corporalis praesentia majorem posteriori  
Hierosolymitano templo gloriam conciliavit.

TE RTIO nostrum propositum firmamus ex Jeremie  
verbis

verbisc. 30. v. 9. *Servient Domino DEO suo & David Regi suo quem suscitabo eis.* Verba sunt consolatoria ad Judæos facta statim post Chaldaicum Hierosolymæ & Salomonici templi excidium. Sunt autem desumpta ex Osi 3 v. 5. *Quarent Jehovam DEVM suum & Davidem Regem suum.* Hic Rex David (qui ob distinctum respectum & servus David vocatur, Ezech: 34. v. 23. c. 37. v. 24. Psal: 132. v. 10.) nullus alius est quam ipse Messias DEVS homo, attestante Chaldaica Paraphrasi: *Servient coram Domino DEO suo & obedient Messia filio David Regi suo, quem suscitabo eis.* Vox Regis h. l. planè est notabilis. Habuerunt enim Judæi post Babylonicam captivitatem nullos domesticos Reges, sed tantum Principes, sive Duces. Regia namq; Judaici status dignitas in Ducalem conversa erat, vi dominicæ prædictionis Ezech: 21. v. 31; 32. Quod enim Aristobulus Tyrannus Johannis Hyrcani filius mutato Principatu in regnum diadema sibi imposuit, teste Josepho lib: 13. antiqu: c. 19. & lib. 1. belli. c. 3. quod & filius fecit, id facti fuit, non juris, pugnans contra divinam dispositionem. Rex ergo David vel ut Chaldæus habet, *filius David* post Babylonicam captivitatem suo tempore suscitandus, nullus alius est quam noster Messias, *Eternus Rex & eternus Dominator.* Ob hunc Davidi æternum regnum promissum erat. 2. Sam: 7. v. 13. 16. 1. Chron: 17. v. 12. 14. Jer: 33. v. 21. 26. Dan: 7. v. 14. Psal: 132. v. 12. Luc: 1. v. 33. Rabbi David Kimchi super hæc Jeremix verba ita commentatur. *Loquitur DEVS vel de Davide Rege, quem excitabit illi ex pulvere ipsius in tempore vivificationis mortuorum: vel de Messia Davidis filio, quem Propheta vocat Regem David.* Progreditur verò Jeremias v. 18. *Sic dicit Dominus, Ecce ego convertam captivitatem tabernaculorum Jacob & habitaculorum ejus miserebor, & adificabitur civitas (Jerusalem) super cumulum ejus & palatium (templum)*



*juxta dispositionem ejus habitabitur, v. 21. Erit אריר magnificus ejus ex ipso & מושל de medio ejus egredietur, & faciam appropinquare eum & accedet ad me, dictum Jehovah.*  
 Quibus in verbis Propheta promittit 1. ipsius civitatis Hierosolymæ reedificationem. 2. ut & ipsius ארמון Palatij vel templi. Propterea Chaldæus Ebræam vocem explicavit per בית מקדשא *domum sanctuarij*, LXX ὁ ναός 3. exhibitionem & egressionem מושל & אריל qui nullus alius est quam ipse Messias, *Rex David* qui simul futurus sit sacerdos id quod notatur Phrafi. *Faciam appropinquare eum ad me.* Conferantur loca Jerem; c. 33. v. 22. Psal. 2. v. 9. 4. Hunc אריר & מלך Regem & Sacerdotem venturum reedificata Hierosolyma & templo. 5. Eum venturum ex sanguine Judæorum ē medio eorum. Hæc Prophetica Jeremiæ verba de solo Messia loqui nobis Christianis per DEI gratiam notum est ex mutua collatione Veteris & N. T. Idem attestatur Chaldaica Paraphrasis. *Et innungetur Rex eorum ex illis & Messias eorum de medio eorum revelabitur.* Consentit Rabbi David Kimchi, qui & ipse hunc Addir & Moschel de Messia interpretatur & urget Phrafin *ex ipso, ex medio ejus.* Quia notorium est, inquit, quod Rex ille Maschiach ex Israel futurus sit. *Ex medio ejus, ac si diceret: ex medio fratrum tuorum constitues super te Regem.*

Illustre verò argumentum est, quod ex Jeremiæ & Chaldæi Paraphrastæ verbis desumimus, verum Messiam debuisse venire ante adhuc posteriore templo. Quod si excæcati Judæi vocem *Regis & Messie* in his Jeremiæ verbis de alio quopiam Rege vel uncto post Babylonicam captivitatem intelligant, opponimus illis Chaldaicam Paraphrasin & vetustiores Rabbinos. Præterea probandum ipsis incumbit. 1. eos unum vel alterum *domesticum Regem* eumque legitimum post captivitatem habuisse 2. *Duces* vel *Principes* Judæorum post captivitatem vocatos fuisse

fuisse משיח unctos Dn: Contrâ fatentur ipsi Iudæi post captivitatem in posteriore templo inter alia defecisse & oleum sanctitatis. Videatur Galatinus lib: 4, c. 17. Nullos ergo Iudæi habebant unctos propriè sic dictos. Quod enim Cyrus Messias vel unctus vocatur Es: 45. v. 1. id singulare est, ob singularem Cyri ad divina opera & reductionem præsertim populi sui ex captivitate Babylonicâ destinationem. Quanquam veteres Iudæi negarint Cyrum in persona ibidem nominari Messiam, sed intelligi debere verum Messiam. Nunquid Cyrus Messias est? Non, sed DEVS Sanctus & benedictus dixit Messia: oppono ego te Cyro, cuius fortificavi dexteram. Videatur Galatinus citato loco, Psalmi 105. v. 15. locum quod attinet, Ne tangite unctos, Spirituali oleo, ipso spiritu sancto, uti fuerunt Prophetæ & alij sancti DEI viri. Hoc sensu & Messias noster unctus est spirituali oleo latitiae Psal. 45. v. 8. Ipso spiritu Iehovæ Es: 61. v. 1. Act: 10. v. 38. non ad mensuram Ioh: 3. v. 34. de cuius plenitudine omnes sumimus gratiam pro gratiâ. Ioh: 1. v. 16. Propterea & Christiani ob hunc Regem & Sacerdotem vocantur Reges & Sacerdotes. Apoc: 1, v. 6. & משיח Messiani, Christiani Act: 11, v. 26.

Q V A R T O, cum Haggæo & Zachariâ consentit Propheta Daniel vel potius Angelus Domini in Daniele c. 9. qui Prophetam futurorum in DEI populo eventuum cupidissimum informat 70. septimanas (annuas scilicet consentientibus Christianis & Iudæis) præcisè definitas esse super populum & sanctam civitatem & quidem ab egressu verbi singulari de restituenda & ædificanda Hierosolyma v. 24, 25. Post defluxum verò illarum annuarum Septimannarum vel 490. annorum Hierosolymam cum Sanctuario & toto Iudaico cultu totaliter abolenda. Intra illud verò tempus stante Hierosolyma & posteriore

templo *Messiam venturum* v. 26, 27. De termino tũm à  
 quo tũm ad quem harum Angelicarum septimannarum  
 variz sunt contro versiz motz. Iudzi in hodierno quod  
 habent Calendario & alibi hunc numerum inchoant ab  
 excidto prioris templi & civitatis Hierosolymz per Ne-  
 bucadnezarem, finiunt in posteriore civitatis Hieroso-  
 lymz exterminio per Vespasianum & Romanos Im pe-  
 ratores facto. In termino ad quem cum Iudzis conveni-  
 mus verũm in termino à quo dissentimus, cum victos-  
 simẽ eundem inchoent, à desolatione templi Salomoni-  
 ci, cum Angelus clarissimẽ has annuas Septimanus in-  
 choandas dicat ab egressu verbi de iterum adificanda  
 Hierosolyma. Quod verbum non nudam continere pro-  
 missionem debebat, gratem reperimus Ier: 30. v. 18. Sed  
*verbum mandaticum reali effectu* conjunctum, finitis 70.  
 annis Babylonicz captivitatis & populo in patriam re-  
 duce, Magnam præterea Iudzi vim inferunt Persicz  
 Monarchiz quæ pessimẽ à Iudzis mutilatur contra E-  
 stram Iosephum, Græcos scriptores ad unum omnes,  
 ipsum deniq; cœlestem motum, id quod alibi fufus pro-  
 batur. Fecerunt autem id omne in odium Christianorum  
 & scdam perversionem hebdomadam Danielis propte-  
 rea & hunc Prophetam Catalogo Prophetarum exem-  
 runt eumq; libris דניאל annumerarunt. 2. Inveni-  
 unt olim & inveniuntur adhuc hodie qui hasce Septi-  
 manas inchoant ab eo tempore, quo Cyrus primus Persa-  
 rum Rex Iudzis Babylonicam captivitatem laxavit &  
 Kraclitis (traditis minoribus prioris templi vasib) pote-  
 statem dedit reedificandi & civitatem & templum 2.  
 Chron: 36. v. 23. Ezra: I. v. 2, 3. verũm ab hoc termino  
 hæ septimanæ inchoari non possunt. Vis enim infer-  
 tur & cœlesti motui & Persicz Monarchiz, id quod Chro-  
 nologorum Scholæ demonstrant. Fuit insuper hæc Cyri-

proclamatio bonam partem inefficax & irrita. Licet enim  
vivente adhuc Cyro fundamenta posterioris domus jacta  
sint, Esræ: 3. tamen statim sub Cyro, magnis bellis im-  
plicato, & post ejus mortem structura illa à subsequenti-  
bus Regibus Cambyse, Dario Hystaspis, Ahasvero vel  
Xerxe, Artaxerxe Longimano, ad falsas vicinorum ho-  
stium relationes tuit impedita Esræ: 4. v. 5, 6, 7. quo in loco  
nulla est Hysterosis, nulla confusio Ahasveri cum Artaxerxe,  
id quod intendit adulterina illa Parenthesis in  
vulgata Bibliorum versione, qua multos Chronologos de-  
cepit. 3. Alij ab anno septimo Artaxerxis Esræ: 7.  
v. 8. Nonnulli ab anno 20. ejusdem Artaxerxis. Neh: 2.  
v. 1. hæc Angelicas septimanas inchoant. Verùm histo-  
rica temporum ratio & computatio non convenit. Est  
enim hîc Artaxerxes Mnemon, qui post Darium Nothum  
regnavit, à cujus anno vel septimo vel vicesimo, qua-  
dringenti nonaginta anni numerati extenduntur in  
annos aliquot post excidium posterioris templi, ubi nil  
memorable gestum. Particularia præterea hæc fuere  
mandata & quasi privata ad Esram & Nehemiam facta,  
non de templi instauratione (hoc enim jam absolutum  
erat Esr: 6, 15) sed de Levitici partim cultus & Judaicæ  
politix ut & *αὐτονομίας* restauracione; partim murorum  
Hierosolymitanorum restauracione. 5. Restat ergo singu-  
laris ille egressus verbi, vel mandatum singulare de re-  
parando præsertim posteriore templo factum anno se-  
cundo Darij Nothi Esr: 4. v. 24. Mandatum omnium ma-  
gnificentissimum tum ex parte DEI, qui per Prophetas  
Haggzum & Zachariam Iudæos ad ædificationem ad-  
hortatus est. addita elegante consolacione Esr: 5. v. 1, 2.  
Hag: 1. & 2. Tum ex parte Darij Regis. Regium enim ipsi-  
us edictum planè est regium & egregium, cum magnifi-  
ca donacione, promissione & gravissima interminatione  
con-

conjunctum, ut apparet ex Esr: 6. à v. 6. ad 12. Ab hoc præterea tempore nova sanctæ civitatis & templi restauratio nunquam fuit impedita, sed feliciter etiam quoad muros & plateas continuata à secundo Darij Nothi qui per 19. annos regnavit ad tricesimum secundum Artaxerxis Mnemonis Neh: 5. v. 14. & c. 13, 6. Spatio 49. annorum seu 7. annuarum septimanarum, prædicente Angelo Dan: 9. v. 25. Ab hoc termino, secundo scilicet Darij Nothi qui regnare cepit anno secundo Olympiadis octuagesimæ novæ, sive Olympiastico 354. si temporum ratio exactè supputetur quadringentorum nonaginta solidorum annorum intervallum sese extendit ad excidium usq; civitatis Hierosolymæ & posterioris templi. Quin imò si totum Chronologicum Systema introspectatur, annus ille secundus Darij Nothi posteriore sui parte cadit in annum primum operarum à Sabbathico & Jubilæo. Absolutis ab hoc tempore 70. annis Sabbathicis vel annis septimanis, ut & decem Jubilæis pervenimus in annum Jubilæum decimum, quo absoluto anno sequente civitas Hierosolyma justo DEI judicio per Romanos totaliter fuit desolata. Nullum ergò dubium Angelum in Daniele ad hoc peculiare mandatum & DEI & Regis Darij, ut & singulare temporis intervallum respexisse. Hinc quoq; patet, terminum *ad quem* harum Angelicarum septimanarum esse posterius excidium Hierosolymæ, & templi. Quia in re consentientem habemus nostrum Servatorem Matt: 24. v. 15. Luc: 21. v. 22. Quanquam plurimi hæc septimanas terminent in Dominicâ passione factâ anno 37. ante Hierosolymitanam desolationem. Quâ de realibi. Scopus ergò Angelicæ revelationis & informationis hic. 1. Danielem & fideles non debere hære in temporali hac liberatione ex Babylonicâ captivitate & redificatione terrenæ Hierosolymæ & posterioris templi.

Hæc

Hæc enim omnia intra 490. annos iterum desolanda, & quidem cum totali desolatione, sanctuarij excisione, sacrificiorum abolitione, plenarijque Judaici cultus & politie subversione. 2. Intra decursum verò harum septimanarum venturum Messiam, celestem & spiritualem Hierosolymam vel æternum regnum erecturum, antè verò passurum & moriturum idque per modum transgressionis five excisionis דָּרַת מִשִׁיחַ Dan: 9. v. 26. דָּרַת מִשִׁיחַ fodit perfodit, habetur idem verbum Psal: 22. v. 17. de Messie crucifixione & Ps: 40. v. 7. de perfossione aurium, Messie servi Domini. Confer Mosaicam sanctionem de servis anno libertatis ex heri domo egredi nolentibus Ex: 21. v. 6. Deut: 15. v. 17.

Sunt autem à desolatione posterioris domus & civitatis ad hoc usque tempus anni 1566. quale intervallum ferè est ab Exodo Judæorum ex Ægypto ad desolationem posteriorem secundum Christianorum supputationem. Quamquam Judæj in Calendario annos tantum 340. habeant. Annus enim Exodi eis est annus mundi 2488. annus דָּרַת excidij vel deletionis 3828. Vana ergo Judæorum spes est circa Messie adventum, qui venit imò venire debuit stante adhuc Hierosolyma & posteriore templo & durante Judæorum cultu, qui que sua in posteriore templo presentatione & manifestatione gloriam posterioris domus majorem & splendidiorem reddidit præ gloria templi Salomonij in se licet magnificentissimi. Essent alia Argumenta nostrum propositum firmiter subnectenda. 1. Ex Prophetis Zacharia & Malachia 2. ex Epistola ad Hebræos c. 11. v. 25. & Sequ: 2. ex vetustioribus Rabbinijs 4. Orthodoxa demque Christiana antiquitate. Verum intimationis ratio hic nobis finem imperat. Vestrum est, Academici cives, vestrum de vero, per Prophetas promisso Messie ex propositis contra pertinacem Judæorum civitatem & contradicendi libidinem magis magisque roborare: DEO Patri ex intimis vestrorum cordium recessibus gratias agere, promisso in carnem unigenito suo Filio, idque æterno nostro bono: DEO Filio pro spontaneo suo ad nos adventu, magno sue dilectionis argumento, Propter nos enim, nostramque salutem descendit DEI Filius de cælo & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine, & HOMO FACTUS EST, DE O SPIRITUI SANCTO, qui per sacre-Sancti sui verbi Ministerium tantum pietatis Mysterium

um nobis revelavit, & etiam primum revelat. Frequentate perfectior  
 hosce dies Ecclesiasticos conventus, sanctorum congregatione  
 nem, ordinariam Spiritus Sancti officinam. Pie, iuste, caste vivite  
 te, expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni DEI  
 & salvatoris nostri JESU CHRISTI. Devotas & calidas preces  
 fundite ad Regē Regū & Dominū dominantū pro salute & inco-  
 lumitate Christiani nostri Magi strati, Sereniss: & Potētiss: VLA-  
 DISLAI IV. Poloniae & Sveciæ Regis MAGNI, FELICIS, PACI-  
 FICI, AUGUSTI, Domini nostri clementissimi. Serenissimi  
 item & Celsissimi Principis & Domini Domini GEORGII WIL-  
 HELMI Brandenburgici Electoris & Sacri Romani Imperij Ses-  
 ptem viri, Domini & Nutritij nostri clementissimi, in turbulen-  
 tis hisce, & conclamatis furentis mundi temporibus. Floren-  
 tem per DEI gratiam nostræ Academiæ statum porrò DEI Ter-  
 Optimo, ter Maximo, intentis præcibus commendate. Fiat  
 porrò, domine, tua super nos misericordia, quemadmodum  
 speravimus in te. Amen.

## SOLENNIBUS JESU RE- DEMPTORIS FERIIS.

**Q**uam mole pressi rebus in asperis,  
 Et à salutis tramite devij  
 Longè recedunt, anxij ultrò,  
 Quà pateat via lata, spectant.  
 Mortalis Ada natio sanguine  
 Creata, fædo livida crimine,  
 Urgente pressurâ, perenne  
 Exitium meruit, doletq.  
 Non ergo quivis tanta pericula  
 Evitet, orto sidere prospero,  
 Vitæq. præsentem reposcat  
 Assiduis precibus salutem?  
 Cum meta cœli nulla sit obvia,  
 Humana quam vis pandere noverit,  
 Et facta promissi caduca  
 Aerias volitent per auras.  
 Mundana cernens prælia Filius

Summi Jehova, Rex dominantiam.  
 Non passus est gentes domari  
 Vi, rabièq. furentis Orci:  
 Sed natus heros ætheris ac soli  
 Opravit unâ corporis artubus  
 Vestire sese, quò propinqua  
 Anchora tuta foret relictis.  
 Quapropter hac sit mens modò consilij.  
 Ad comparandum viscera gratiæ,  
 Virtute pollentem Monarcham  
 Ut subitis precibus vocemus,  
 Hac luce nostris dum propè finibus  
 Apparet, atra morsibus us necis  
 Bellator ingens forte pronâ  
 Ludibrium meditetur æquum.  
 Illius omni nam sapientia  
 Immensa cordis vim rapit insitam,

Seu fidat. arti quis dolosa,  
Dogmata seu phalerata ructet.  
Mundi colonos permoveat simul  
Hac causa, Christus Terrigenum genus  
Serpentis astu fascinatam  
Quod veniat sibi vindicare:  
O diva nullo gratia gurgure  
Laudata dignè! Quis solum tenens  
Mortalium Rex linquat unquam  
Sceptra paterna alijs regenda,  
Visurus oras flumine dissitas,  
Strictasq; nobis insolito gelu,  
Ut subjugatos liberares  
Fascibus ac tumido tyranno?  
Id Regis Heres unus Olympici,  
Jurus paterni non tamen immemor,  
Fecit, remota tecta gentis  
Vicere non metuens caduca,  
Nil hic corusco cernitur amplius,  
Quam solitudo pessima, lumine;  
Quam cordis angor cum tenebris  
Cimmerijs, Stygiumq; frigus.  
Rumore turbat concio mox levis,  
Quod nempe Christus robore non pari  
Donatus, hostes ut tremendos  
Sedibus exuat occupatis,  
Cum sit puellus virgine profatus,  
Humana gestans membra, cui vigor  
Presentis atatis futuros,  
Spe renuente, neget triumphos.  
Sed mitte questum, non diademata,

Terrena captat, gemma ubi promicant,  
Carumq; vendentis met allum:  
Sed potiora poli theatra.  
Non, quod videntis lumina judicant,  
Censetorobur protinus eminent,  
Sed quod beata aeternitatis  
Progeniit fluitans origo,  
Ut cuncta vatam secula nunciant,  
A Solis alto cardine ad Hesperum,  
Qui claustra dissolvens abyssi,  
Obtegit Oceanum tenebris.  
Non comparandus cum Goliatho erat  
Davidis ausus, cum validus gigas  
Factare vires more prisco,  
Sit lapidesq; friare suetus:  
Jessea contra funda per aëris  
Tractus fugaret sapius agmina  
Alte volantium, sed cruentos  
Non cohibere valebat ictus.  
Majora noster fata Diespiter  
Scrutatur omni prodita tempore.  
Nil curat armis praeliantium  
Romulidum decus ac brabeia.  
Machara dextra mobilis invida  
In conserendo straminis instar est  
Flammis adusti, quod repente  
Ludibrium facit aura ventis.  
Hunc ergo vestrum Terrigena Deum,  
Regemq; toto querite pectore,  
Hic namq; solus Sospitator,  
Cui decus omne sonabit avum.

M. Christophorus Eilardus P. P.

Sub exordium Anni 1637.

